



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. De privatione sepulturæ Ecclesiasticæ tempore interdicti?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

adiicimus. Divinorum autem officiorum nomine, quæ tempore interdicti prohibita sunt, non tantum intelligitur Missæ celebratio, publica oratio ab Ecclesia instituta, sed omnes etiam sacræ publicæ benedictiones, quæ nomine & autoritate Ecclesiæ, à ministris Ecclesiæ fiunt.

§. V.

De privatione sepultura Ecclesiastica tempore interdicti?

**E**X cap. quod in te II. §. licet autem de panis. & remiss. habemus, quod interdicti localis generalis tempore prohibeantur fideles in loco sacro interdicto sepeliri, exceptis illis personis Ecclesiasticis, quæ specialiter interdictæ non sunt, & tamen servaverunt locale interdictum, quibus conceditur, ut possint etiam interdicti tempore in loco sacro quidem, sed interdicto, sepeliri, sine pulsatione tamen campanarum, & absque alia solemnitate, nisi fiat sepultura in quatuor supra enumeratis festivitibus, in quibus solemnitates permittuntur, quin imò omnes tam laici quam clerici, qui specialiter interdicti non sunt, neque culpam suam causam interdicti dederunt, vel si personaliter interdicti sint, denuntiati tamen non fuerunt, nec impanitentes mortui sunt, possunt in quocunque loco sacro, non interdicto, sepeliri, quamvis parochiani sint Ecclesiæ specialiter interdictæ, cum in tali casu non fiat interdictæ personæ secundum se, sed tantum respectu loci serti, in hoc vero casu non sint vitan-

di, aut communicatione fidelium exclusi.

§. VI.

De violatione interdicti, & pænis iure decretis in violantes?

**I**nterdictum personale violant Clerici personaliter interdicti, si actus proprios sui ordinis, à cuius exercitio interdicti sunt, exerceant, & uti dictum, incurrunt in tali casu irregularitatem, si interfuerint divinis, vel percipiant Sacramenta prohibita, si permittat alios personaliter interdictos divinis interesse, aut ea celebrare &c. Locale vero interdictum violant, si celebrent divina, non observatâ moderatione cap. alma si permittant alios divina celebrare in loco interdicto, cuius regimen illis commissum est &c. nisi specialia privilegia plus illis concedant.

De pænis, quas incurrunt, laici etiam, qui vel ipsi violant interdictum, vel cogunt violare, & de pænis quas incurrunt religiosi violantes interdictum, vide Clement. 1. 2. & 3. has enim pænas circa hanc materiam rari usus, multum moderantur concessa variis, religiosi præsertim, privilegia.

§. VII.

De causis interdicti, & relaxatione ejusdem?

**E**rrone potest interdictum in personas, aut locum sibi subiectum, qui excommunicare potest propter delictum grave, quod est totius communitatis, quas